


12.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
DE
**MEDICAMENTORVM
MERCVRIALIVM
VSU IN CANCRO**

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,
AD D. XVIII. IANVAR. A. S. R. c^o D^o CCLV.

PVBLICE DEFENDET
CAROLVS CLESS
GEDANENSIS BORVSSVS.



HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA CHIRURGICA

MEDICAMENTORUM
MERCURIUM
USU IN CANCERO

AVCTORE

GRATIOSO MEDICORUM ORDINE CONSENSU

PER ACADEMIAM

ALTAE SCHOLAE MEDICAE CHIRURGICAE

D. ANDREA BILLA RUCHNERO

GAUR. ROMAN. ET THEOL. NORIM.

POTENTISSIMO PRINCE REGI A. COMITIS PALATINI

MEDICINAE ET CHIRURGIAE NATURALIS PROFESSORI ORDINARIO

LIBERALIS ACADEMIAE NATURALIUM HISTORIAE

ET CONTOE PALAT. CANONICO

PRO GRADU DOCTORIS

SVMMO IN MEDICINA HONORIS ET BRVILLIENSIS

INSTITVTO MODO DEFENSIT

AD D. XXII. IANV. A. 1752.

CAROLVS GRESS

MDCCCLIIII

HAER. MANDERSB. LIT. HENDELANIS



DISSERTATIO INAUGVR. MEDICO-CHIRVRGICA
DE
MEDICAMENTORVM MERCVRIA-
LIVM VSV IN CANCRO.

PROOEMIUM.



Qui me velut hospitem huc adven-
titium & hactenus alia in Acade-
mia medicis doctrinis imbutum
benevole humaniterque excepe-
runt, atque ad examina antiqui-
tus instituta admissum nunc demum ad hono-
res in medicina summos adspirare iusserunt, il-
lustres atque excellentissimi Viri, medicum Or-
dinem huius celeberrimae Academiae summa
cum lauda constituentes, graves mihi fuerunt
auctores, ut ad solemne meae quantulaeacun-
que scientiae specimen edendum tale inprimis
feligerem argumentum, quale utraque medi-
cina, tam quae medicamentis sanat, quam quae
manus medentis requirit dextras atque expeditas,
aequo iure sibi posset vindicare; postea-
quam nimirum ipsi ex me comperant, me

ultra quinque annos in novissimis illis atque exitiosis bellis castra esse secutum, ibidemque laesis aliove morbo correptis militibus manu medicamentisque auxiliatricibus adstitisse, atque deinde, dum resederat bellum, omne in cognoscendis artibus medicis studium collocasse. Quorum illustrium Virorum aequissimae voluntati lubenter obtemperans, ad hoc ipsum, quod praesenti persecuturus sum Dissertatione, argumentum adverti animum, plane persuasus, neque aliud quoddam instituto meo fore accommodatius, neque Lectores utilioris cuiusdam materiae pertractatione exinde infraudatum iri. Neque enim omnium malorum, misera hominum corpora attentantium conficientiumque, calamitosus est ullum, quam *Cancer*; neque in ingenti morborum numero quisquam est, qui ipso Cancro magis certiusque utramque medelam, cum a Medico, tum a Chirurgo exspectandam, postulet dicam? an respuat eludatque. Namque si calamitatis gravitas spectatur, vel ipsa luctuosissima ceteroqui pestis carcinomati merito est postponenda; utpote quae ipsum quidem copiosa humani generis strage superat, sed, dum correptos celerrime aut necat, aut vitae reddit,

dit, immani crudelitate longe inferior est cancro, quem cum ad omnia remedia rebellis pertinacia, tum incredibiles cruciatus, tum intolerabilis putridi ulceris foetor, tum horrenda adfectae partis deformatio, tum denique diuturnitas & lentissima miserrimae vitae consumptio, inter omnes gravissimi generis morbos summo collocant constituuntque loco. Ad haec etiam utriusque Medici, tam internis remediis, quam manu medentis, labor, licet plerumque frustra, in extirpando hoc malo versatur: adeo, ut in solo paene Cancro verissima illa deprehendantur effata HIPPOCRATIS: *quaecunque, dicentis *)*, non sanant medicamenta, ea ferrum sanat; quod quae non sanat, iis ignis medetur; & quae hunc quoque respuunt, ea insanabilia existimantur. Inde factum est, ut qui toties Medicorum artes eluserat, cancro blandientia remedia proponere eundemque, velut palliatum, longius trahere coeperint sanitatis hominum curandae magistri; quibus ipsi rationibus nonnunquam effecerunt, ut dirus alioquin hic morbus, intra cancellos diu retentus, non prohiberet, quominus aegroti ad extremam, quae hominibus

A 3

*) Videtis *Aphorismor.* Sect. VIII. Aph. 6. Ed. van der LINDEN.

concessa est, pervenerint senectutem. Ad quod lenientium medicamentorum genus, Cancro adfectis proficuum, referrine possint *remedia e mercurio parata*, nec ne? quum multis adhuc haud inglorii nominis viris dubium videatur: operae facturus pretium mihi visus sum, si de horum medicamentorum usu in Cancro plenius dispicerem, atque adeo argumentum persequerem, neque Medico indignum, neque Chirurgo. Quod quanto gravius difficiliusque mihi videtur disputatu: tanto maiorem disserentis accuratationem, factorumque experimentorum cum ratione collationem requirit. Atqui id *duplici* me commodissime adsecuturum esse *capite* arbitror: *altero* nimirum, quo praestruam *nonnulla ad Canceri ingenium atque naturam generatim pertinentia*; *altero* vero, quo ante disputata fundamenti loco substernam iis rationibus, quibus *non alienum remedium mercurialium in Cancro usum* plenius luculentiusque sum demonstraturus. Deum autem immortalem supplex veneror atque precor, ut qualicumque huic labori sufficientes largiatur vires, eundemque in sui nominis gloriam aegrorumque emolumentum cedere clementissime patiatur.

CAPVT



CAPVT I.
DE
CANCRI INGENIO ATQVE NA-
TVRA GENERATIM.

§. I.



Cogitanti mihi de indole atque ingenio
Cancri, morborum facile gravissimi,
ita commode atque apte explicando,
ut haec mea Disputatio remediorum
mercurialium, ipsi proponendorum,
usum accurate expediat, eidemque tam luculenter
definiendo, quam circumspecte commendando
communiendoque inserviat, visus sum facere ali-
quid, quod existimari merito possit operae preti-
um & ab instituto meo non alienum, si pessimum
hoc humani corporis malum, quoad per temporis,
quo circumscribor, brevitatem, & vires infra me-
diocritatem positas fieri poterit, e primis suis origi-
nibus eruere atque investigarem, aliorum in dis-
putanda carcinomatis natura praeceuntium aucto-
rum vestigia caute &, dum per veritatem licet, nul-
lis speciosis opinationum commentis infucatam,
prolixè secuturus. Quo in opere recte admini-
strando mihi inprimis lumen praeferent cum ge-
neratim accuratiores veramque rationis normam
sectati physiologicae pathologicaeque doctrinae commen-

commentatores, tum praecipue attenti circumspici-
tisque dignissimarum notatu mutationum, in mor-
bis accidentium, observatores, qui, quae cognove-
runt observando, litteris consignarunt.

MITA §. II. ART.

Ante vero, quam ipsam obscurorum Cancri
natalium investigationem ordiar, aut calamitosi
huius adfectus definitionem praestruam, praevia
opus esse arbitror demonstratione eorum, quae in
miseris eiusmodi atque summe adfectis hominibus
praecipue in sensus incurrunt, atque potiore de-
formationis, miseriae, cruciatuum aerumnarumque
conficiunt partem. Levioribus plerumque initiis
profectum hoc malum sensim eo crescit, ut, gravi-
tate atque immanitate efferatum, non habeat, cui
possit aequiparari. Ecce levi penicillo effictam eius
adumbrationem! Patre potissimum nascitur tumore
illo indomito, duro, compacto, dolorisque omnis
experite, qui glandulas materie crassa, inertis mi-
nusque mobili explet atque distendit, quemque in
medicis scholis *scirrhi* nomine insignitum esse satis
constat. Interdum vero, sed paulo rarius, eundem
cancrum alia stirpe, de qua postea dispiciam, or-
tum ferunt curiosi harum rerum observatores *a*).
Circa praedictum autem tumorem deinde ad pro-
generandum Cancrum vicina margini vascula san-
guifera

a) Cuiusmodi exempla refert Illustris Gerard. van SWIETEN
in Comment. ad BOERHAAVE Aphor. de cognosc. & curand.
morb. §. 496. pag. 878. Tom. I.

guifera incendium suscipiunt, ab initio leve quidem atque saepius velut varicosum, sensim vero magis magisque ingravescens. Inter haec adfecta pars primo modice dolet, & prurigo magis atque titillatio & vaga quaedam punctio, quam acerbus sentitur dolor: color quoque depravati loci adhuc rubellus est aut ad summum ruber; neque calor aequae fervidus, ac in aliis solitisque inflammationibus, observatur. Indies vero mox tardiori progressu, mox, inprimis irritatum, celeriori latius serpit malum: pars cancrofa (barbarae voci veniam rogo,) rubicundum deserit colorem, purpurascit, tum livet, & denique infuscatur atque nigrescit; interim tumor augetur, mollietiam, si adspectui habeatur fides, simulans, sed sub tactum summae duritiei, asperitatis, scabritiaeque, & in medio plerumque apice eminenti protentior; circa quem vascula vicina, sanguinem vehentia, etiam livida atque nigricolora, maxime intumescunt, & velut tortuosi polypodum pedes recurvantur *b*), atque nodosa vel varicosa evadunt. Insuper dolor aetate vires acquirit, & mox nonnihil remittit, mox vero aegrotum dies atque noctes vario adfligit fatigatque cruciatu, ut difficile sit dictu, utrum pungens, an fo-

B diens,

b) Novi equidem has vasorum divaricationes cancrorum brachii pedibusque equiparari & inde vulgo ipsius morbi nomen deduci: sed, qui hodie satis cognitorum polyporum varie circumiectos pedes viderit, carcinomati maiorem cum iisdem interesse similitudinem, merito existimabit.

diens, an vellicans lancinansque, an denique urens fit aestimandus; in hoc solum nominis dubitatione subblata, quod ipse paene intolerabilis dici mereatur c).

§. III.

Licet autem, quae commemoravimus modo (§. II.), satis esse possint malorum ad Cancrum in gravissimorum morborum classem vindicandum: nihilo tamen fecius vereri ille videtur, ne hoc eximatur genere, nisi longe crudeliora saevitiae in homines ederet exempla. Scilicet, si diutius iam, & furtim, velut anguis in herba, latuerit, tandem latebris suis erumpit, &, quae ipsam tanquam cystis comprehenderat, glandulae adfectae tunicam d) & reliquas superpositas partes summamque cutem exedit, ope vitiosi atque accerrimi humoris, quem prior ille cancer (§. II.) proximorum vasculorum attritu factaque per extentiorem tumorem diruptione, atque adeo exorta vitalis liquoris extra canales suos effusi corruptione atque putredine produxerat, & aliquamdiu intra cancerosi scirrhi coërcuerat velamentum. Facto ita ulcere manifeste atque celementer exasperatur morbus. Quae enim exinde perpetuo exit, sanies nigra vel fulva, rarius limpida, insuperque acerrima aequae, ac foetidissima atque detestabili cadaveris tabo odore haud dissimilis, proxima

e) Accurate omnem hanc imaginem prae reliquis definit AETIVS in *Tetrabibl. IV. Serm. IV. Cap. XLII.*

d) Conferatur ESCHENBACH in *der anatomischen Beschreibung des menschlichen Körpers* §. 424.

de medicamentorum mercurialium usu in Cancro. II

xima & viciniore exedit, ambientia vero arrodit, plurimisque velut foraminibus exiguis, perpetuo ichore madidis, pertundit. Labia ulceris fiunt indies magis inaequalia, praedura atque inversa, tumida & scabra, coloreque ex rubro nigricante tincta. Accedit quoque putris caro, saepenumero adeo luxurians, ut extra ulceris ora insigniter emineat.

§. IV.

At nec his finibus (§. III.) coërceri se patitur virulentus hic humanae fabricae hostis atque corruptor. Dum enim quaquaversum saevit, interiorem quoque, quae latera atque profundum respicit, tunicam, qua antea comprehensus erat tumor scirrhosus (§. cit.), vorat, adeoque & ad adiacentes partes progreditur, & ad substratas. Quo facto pestilentissima illuvies illico, quodcumque infra situm est, arrodit, vasculorum tam sanguiferorum, quam lymphaticorum humores ob summam acridinem cogit atque densat e), atque his rationibus ad alias quoque glandulas, praesertim fatali vicinitate miseras, malignas emittit radices; quibus, quod semel arripuit, tenet occiditque. Singula haec cruciatuum

B 2

e) Saepe enim numero ita acris haec sanies deprehensa est, ut ad vim acidorum spirituum, quos dicunt, mineralium accederet, & v. c. absorbentibus affusa efferveret, alios liquores coagularer, &c. de quo videri possunt Illustris Ioann. IVNCKERI *Conspect. Chirurgiae*, Tab. L. pag. 301. & passim *Recherches sur la Nature & la guérison des Cancers*, par Deshaies GENDRON, à Paris, 1701. in 12.

ciatum genera comitatur acutissimus & intolerabilis, isque fere perpetuus dolor, cui exprimendo impar est oratio. Accedit etiam interdum abolutus partium sentientium, praesertim nasi aurisque, usus; cui postremae parti saepius indolores calli deprehensi sunt innati. Tandem inter haec calamitosa teterrimi morbi ludibria ad exoptatissimam mortem, omnium miseriarum finem, propius accedunt aegrotantes, vel a suprema totius corporis macie febrilique hectica exsiccatione, vel inter frequentissimas animi defectiones nervorumque distentiones, vel subinde ab enormi atque indomabili sanguinis profusione, e paullo maiori arterioso venosoque vase, per acrem saniem eroso, facta, miseram animam demum exhalaturi.

§. V.

Atqui in tanto multiplicium symptomatum numero (§. II-IV.) non adeo facile definieris, quid fit Cancer? Cuius rei luculentissimum exhibent testimonium tot tamque variae, tamque dissentientes Auctorum in definiendo Cancro sententiae, quas ubique in scriptis chirurgicae doctrinae commentariis observare licet. Propius autem a vero abesse mihi videor, si, collatis inter se haecenus expositis Canceri symptomatibus, rationes subducam eorum, quae in diro hoc morbo perpetua atque constantia animadvertuntur. Inde mihi haec enata est definitio, qua *particularem quandam inflammationem, eum cuiusvis generis humores acerrima putredine infici-*

insipientem, tum solidas partes indurantem & dehinc prorsus dissolventem, Cancri nomine volo insigniendam. Verum enim vero, quia, ut vidimus ante, prava haec humorum corruptio aut suis adhuc continetur velamentis (§. II.), aut his ulcere diruptis latius serpit (§. III. IV.), natum est exinde in Medicorum scholis *duplex* Cancri *genus*, satis abunde inter omnes celebratum: *occultum* alterum, quo latens ille & intra pelliculas coërcitus significatur Cancer *f*); alterum vero *apertum* sive manifestum, alias *ulcerosi* quoque nomen nactum, quod *carcinoma*, multam, qua data est via, faniem plorans, comprehendit.

§. VI.

Utar autem, ut decet, proposita definitione (§. V.) ad ordinandam porro de Cancri ingenio atque natura dicendorum disputationem, differamque primo, quale sit incendium, quibusque causis sit ortum, quasque inprimis occupet partes illud, quod Cancro tam nascendo, quam perfecto infervit, & velut primus parens atque auctor existimari debet; tum exinde ortam praecipuorum vitaliumque humorum corruptionem saniosam atque putrem considerabo, & unde ipsa tanta, quanta deprehenditur, mutatione singulorum humani corporis

B 3

liquo-

f) Fuit quidem aliquis, nomine PHILOXENVS, teste AETIO *loc. cit.* qui occultum Cancrum vocaret eum, quem occulta nostri corporis loca, e. g. uterus, concepissent; sed, qui ipsum sequerentur, neque inter veteres habuit Medicos, neque inter recentes.

liquorum naturam indolemque prorsus exuerit, & tanquam in mineralium acidorum consortium transierit, iustas ad rationes expendam; postremo in causas variae multiplicisque tam indurationis, quam corrosionis consumtionisque partium solidarum, quae in teterrimo hoc adfectu animadvertitur, inquiram accurate. Hac enim ratione in praesentia haud adeo male operam me collocaturum esse, certoque fore, spero, ut deinde altero huius commentationis capite remediorum mercurialium usum in Cancro expedituro haud adeo difficile sit mihi, primo certam rationique conformem huic malo medendi methodum constituere, & postea ante doctorum medicamentorum causam agere atque a potioribus defendere dubiis.

§. VII.

Primo itaque de cancroso incendio differentis (§. VI.) tripartitam esse oportet disputationem: quo illius luculentam consequantur intelligentiam lectores. Principem autem huius orationis partem postulat sibi ea, quae de *genere inflammationis* hic memoratae curiosius dispiciet, perquisitio (§. cit.): quum multum omnino intersit ad instituendam recte feliciterque perficiendam medendi methodum, explicare nosse, utrum sanguineam inflammationem, an serosam lymphaticamque singulariter, an omnes simul curatione attentemus g). Quo in genere

g) Nolui hoc loco, ne praefixae brevitatis limites transgrederer,

nere investigando ne forte halluciner, ex ipsis velut incunabulis evoluturus sum Cancrum, primasque eius origines studiose cogitateque persecuturus. Scilicet omni, quicumque usquam deprehensus est, Cancro supra (§. II.), principum Medicorum & in observandis morborum naturis exquisite diligentium sententiam amplexus, stirpem dedi attribuique aut a scirrho, ut potissimum fit, aut ab aliis, praecipue partium nervosarum, laesionibus atque corruptionibus qualibuscunque, quas deinde disputabo, oriundam: unde quisque facile, vel me non moneante, perspiciet, ad definiendum cancrofi incendii genus plurimum facere accuratam horum, quos excitavi, natalium animadversionem.

§. VIII.

In priori illo incendio cancroso, in quo ad praegressum respiciendum est scirrhum (§. VII.), denuo tam ea, quae eidem parti adfectae sub scirrhi ortum, quam quae, dum eiusdem in cancrum mutatio immineret, acciderunt, considerari merentur.

Huiuscemodi enim cancri fomitem, scirrhum, aut orta in glandulis inflammatio, hic locorum plerumque sanguinea simul & serosa atque lymphatica, ob coactam siccitatemque a variis caus-

fis

derer, varia inflammationum genera longius exponere, utpote ab aliis abunde satis disputata: quo nomine unicum tantum hic excitasse sufficiat *de SAUVAGES in Dissert. sur la Theorie d'inflammation*, HALESI *Haemastaricae* adiecta.

sis materiam parumper detumescens, penitusque demum compacta progignit, aut quaecunque alia efficit glandulae obstructio, v. c. ab attritu huius partis validiori, contusione, humoris glandulosi coagulo, aut alia cuiuslibet generis austera, crassa & lapidescente materie producta. In hac dehinc scirrhusa glandulae induratione si aut aetas, aut vicina forsitan aliqua inflammatio, aut alius qualiscunque citatior humorum motus, aut maius molestiusque materiae stagnantis incrementum lentos hactenus atque sine noxa quiescentes humores reddiderit mobiles, ipsi tum novo auctoque calore ita putris atque acris fiunt naturae, ut & vicina vascula, tam sanguinea, quam alius cuiuslibet generis, ad obstructae glandulae compagem abeuntia, inprimis ad oram marginemque scirrhi incenduntur simul, sensimque eadem acri putredine infecta dissolvantur, & indies quaquaversus erosa canales concipiunt fistulosos. Qui quum porro ex omni parte ad proximas partes progrediuntur, iisdem quoque eadem, quae ipsi sustinuerunt, mala inferunt & latissime propagant.

§. IX.

Fac autem, ut & posterius attingam genus (§. VII.), *ulcere* quodam carcinode incensas esse aliquas corporis nostri partes, nullo tamen praeunte scirrhuso; quemadmodum passim luculentis illustrium Medicorum observatis constitit *b*): nihilo tamen fecius

b) Sunt, qui vehementer dubitant, verone Canceri generi iure

fecius iustas habeo exquisitasque rationes, cur & hoc, quicquid est incendii cancrofi, *compositum* existimem, atque aequae, ac prius illud, scirrhi irritati efferatique effectum, in numerum referam inflammationum sanguineo-lymphaticarum & serosarum. Scilicet ex supra dictis (§. citat.) lectores haud ignorare oportet, me in ea esse sententia, qualescunque leves partium nervosarum laesiones, imprimis papillarum nervearum cuti interiectarum nudationem, epithelique, quo teguntur, consumptionem & corruptionem, prognerandis eius, quod dixi, generis ulceribus malignis commodissimam dare occasionem. Cuius noxii effectus haec, me quidem iudice, vera atque legitima iudicanda est ratio. Maximum & tantum non absolutissimum nervorum in arterias esse imperium, ipsosque has

C

iii iure meritoque inferantur *cancroidea*, ut vulgare ipsis nomen est, huiuscemodi ulcera, nec ne? quod luctuosissimo illo carcinomate, scirrhi progenie, longe mitiorem, & haud raro domabilem remediisque obtemperantem habent naturam, neque adeo intolerabili foetore infectam saniem stillant, neque denique pari, ac apertus ille cancer, ferocitate vicinas partes depascunt. Sed si diligentius illas ulcerationes considerare libuerit, veroque & ulceranti carcinomati conferre, sua sponte patebit, istas hoc, nec malignitatis, nec reliquae indolis intuitu esse inferiores, huiusque naturae similitudinem ad illas prorsum penitusque pervenire. Quod ne amplius habeat dubitationem, verseturque in quaestione, infra suo loco tam exemplis perspicuis, quam firmissimis ad probandum argumentis confirmare annitar.

canales a laqueis nerveis, per quos transeunt, regi, nuper, ut solet, apertissima demonstratione firmissimisque ostendit rationibus summus nostra aetate Anatomicus, Illustris HALLERVS *i*). Iam vero finge tibi animo furculos nerveos aut, si exteriorem humani corporis superficiem respicere mavis, pulpofas illas nervosi generis papillas, aut externa quadam violentia laesas, velamentoque suo privatas, aut putri cuiusdam ulceris, malignae, nondum tamen cancrofae, indolis sanie vellicatas, arrosas, atque in fungosam luxuriam excitatas, aut a callosis ulcerum, malo intempestivoque successu coeuntium, cicatricibus, vel ab insigni ossium exostosi, vel denique a tumoribus tunica sua inclusis, (*cysticos* vulgo vocant,) tenfos compressosve: nec habebis profecto, cur dubites, his nervorum adfectionibus arterias quoque vicinitate coniunctas adfectum iri, & a circumiectis nerveis laqueis, ut veri est simillimum, constrictum iri.

§. X.

Enimvero quis est, quaeso, qui arctiorem eiusmodi arteriarum constrictionem (§. IX.) & velut illaqueantem colligationem, si diu perduraverit, ut in dictis exemplis accidere necesse est, & si ad haec imprimis extremos canaliculos strinxerit, sine eorundem exiguissimorum vasculorum obstructione, prima perpetuaque omnis in humano corpore incendii ceterorumque qualiumcunque malorum
inde

i) In Diss. de Nervorum imperio in arterias, Goetting. 1744.

inde productorum matre, animo tantum concipere possit? Neque ego quenquam arbitror temere existimaturum, in solas arterias sanguiferas imperium tenere nervos: quum sit exploratae inter Anatomicos Physiologosque veritatis, etiam lymphatica atque serosa vascula non carere nervorum consortio, hosque illis aequae, ac canalibus sanguinem vehementibus, imperare. Unde evidentissima sequitur consecutione, ut iis, quos ante (§. IX.) memoravimus, modis adfecti nervi seriferos atque lymphaticos canales haud aliter, ac sanguiferos, ligent & constringant, atque sic demum certissimam praesentissimamque iisdem inferant obstructionem ac inflammationem. Quo facto peculiare horum vasculorum humores, iam sua sponte in acerrimam putredinem, ut deinde patebit, summe proclives, tale capiunt vitium, quale sufficit sanioso ulceri producendo, *carcinomatis* nomen prae ceteris optime merenti. Ut taceam, eo pestilentiores foedioresque saepius hanc evadere humorum corruptionem, quo peioribus forte vitiosioribusque succis corpus aliquod abundat. Quod in exemplum scorbuti, cachexia, lue venerea, &c. infectos liceat excitasse.

§. XI.

Alteram vero huius de inflammatione cancro-
sa orationis partem (§. VI. VII.) expedituro, dicturo-
que mihi *causas* tanti tamque violenti & cuncta
praeripientis incendii, video datum esse aliquod la-
boris compendium: quoniam maximam eorum, quae

quae huc spectant, dicendorum particulam ea ante occupavit disputatio, quae haecenus (§. VII-X.) in constituendo huius inflammationis genere curate laboravit. Explicatis enim nunc velut in transcurfu *proximis* *cancris*, nimirum partim scirrhus, in ulcerantem motum intrinsecus exagitato (§. VIII.), partim quibusvis aliis adfectibus, interfectos vasculis & quasi circumvinctos nervos ad sui adfiniumque vasorum contractionem coarctationemque stimulantibus (§. IX. X.): potiores porro *remotas* huius mali *causas*, quoad eius fieri poterit brevissime, explanabo. Nempe inter has, quae velut eminus hominum sanitatem subvertunt, & subdole sensimque delitescentem Cancris nascendi materiam augent atque coacervant, eminent praecipue omnia, quibus humores, circa scirrhum aut reliquos istos adfectus (§. cit.) haerentes, citantur, aut impacta ibidem, iners atque lenta materies insigniter coagmentatur, vel mobilis redditur.

§. XII.

Atque ad hoc genus (§. XI.) singulatim pertinent, praeter supra (§. VIII.) adductas iam causas, victus durus, acer, austerus atque calidus, adfectiones animi tristes, difficiles atque iracundae; vita caelebs, sterilis, effoeta; naturalis sanguinis motus immutatus, inprimis a retentis qualibuscunque sanguinis profluviis, haemorrhoidibus, mensibus, &c. labes haereditate accepta; mala, lenta, biliosa, cacochymica humorum totius corporis indoles; quilibet

bet externi stimuli irritationesque, ab attritu, motu, labore nimio, calore, frigore, orientes; tandem etiam incongruae intempestivaeque scirrhi & reliquorum malorum (§. VIII-X.) medicationes k), per emol-

k) Quam funesto saepius successu irritantia atque commoventia remedia tam scirrhis partibus, quam aliis malignae naturae malis, e.g. fungosis atque verrucosis excrescentiis, applicentur, post alia plurima passim apud Auctores observationum medicarum reperiunda exempla, duobus quoque, mea experientia cognitis, edoceri se patiantur lectores. Tribus circiter abhinc annis adit me juvenis quidam viginti annorum, stricti atque gracilis habitus, temperamenti melancholico-cholericum, diaetae laetae atque vinosae maxime deditus, neque a re venerea satis sibi temperans, rogavitque, ut, quem ipse nunc per sesquiannum haberet, testiculo sinistri lateris scirrhuso, neque duro lapide multum molliori, proponerem medicinam. Scilicet in hoc se incidisse malum ipse aiebat, posteaquam veneris eiusdem testis tumor a Chirurgo quodam quam celerrime esset sublarus & quasi repressus. Ego vero, explorata testiculi duritie magnitudineque, ad ovum gallinaeum accedente, intuens simul hominis cacochymicam, quam Medici dicunt, constitutionem, omnia, quae adfecto testiculo imponi possent, remedia aliena fore praedixi, longeque judicavi consultius eundem relinquere non irritatum, quam ulla attentare medicina. Sed ille, spero, quod dederam, consilio, ab alio quodam Chirurgo dari sibi, quae externe imposita induratum emollirent testem, remedia curavit, eademque per duo adhibuit menses. Inter haec in patriam urbem, Argentoratum, profectus, non interrupto adhuc dictorum medicorum usu, tandem ipsum testem satis insigni intrinsecus

emollientia, suppurantia, vesicantia, caustica, aut
adstringentia, condensantia & exsiccantia remedia
tenta-

velut pungi dolore, novoque extendi tumore sensit, qui, pederentim ingravescens, alterum quoque testiculum scrotumque circumvolutum & vicinas partes graviter incendit, moxque inter intolerabiles paene cruciatus in aliquot desit ulcera, foetidissima stillantia saniem. Quanto ex malo ipsum demum vix eripuit celeberrimus ille in curandis adfectibus veneris Medicus Argentinus, *Franciscus Balthasar a LINDERN*, qui utrumque testem, carcinode ulcere adesum, a dexterrimo quodam Chirurgo excindendum curavit. Cuius exempli historiam ex ipsius aegroti litteris, ad me datis, nuperrime cognovi, fatentis simul, ipsum salubrioris consilii, olim a me dati, adspersionem gravissima luisse poena. Neque alterum, quod enarrabo, exemplum minorem meretur animadversionem. Juvenis quidam, vix duodevicesimum supergressus annum, cholericus-sanguineus, homo ceteroquin libidinosus & mollissime vivens, impuro coitu tandem meruit, cui in penis glande aliquot papillae nerveae a virulento humore arroderentur & in tres verrucas, lentis circiter magnitudinem aequantes, extollerentur. Quo malo ut denuo liberaretur, ipse se curae commisit Medici cuiusdam & Chirurgi: a quibus quum nec satis opportuna atque idonea adhibita essent medicamenta, quae vitium, quod humoribus inerat, eliderent, nec verrucae ipsae rodente quodam remedio, vitrioli nimirum Cyprio, essent crebrius adustae: in tantam singulae succreverunt molem, quanta avellanae esse solet, & postremo accedente carcinomate, pessime vicina exulcerante, tam diu nulli obtemperarunt medicinae, donec tandem ipsae ab alio quodam Chirurgo cum univrsa penis glande, etiam ab ulcere peresa, huic homini in patriam reverso penitus sunt resectae.

tentatae. Quo denique generatim etiam referendus est nimis sanguinosus corporis habitus, cum humorum spissitate coniunctus & quomodocunque commotus concitatusque.

§. XIII.

Quales vero *partes* praecipue cancroideum, quod dixi, incendium occupet atque depascat, tertia nunc, quae superest, orationis parte dicendum est (§. VI.). Atque hoc intuens, mearum esse partium ratus sum, ut ad utrumvis Canceri genus, tam occultum, quam manifestum (§. V.), animum seorsim advertam. Occulti enim cancri quum ea potissimum sit indoles, quod superius explicare docui, ut a scirrho singulariter ortum deducat; omnis autem verus legitimusque scirrhus solis glandulis sit infestus 1): supervacaneum existimo, demonstrare amplius, quod misero illo suscipiendi, fovendi, nutriendique cancri fato eae solum premantur partes, quarum fabricam natura plurimis glandulis fecit distinctam. Hinc oculi, nares, labia oris, organa falivae secernendae dicata, mulierum mammae, rarius virorum mammillae, axillae, inguina, testes & reliqua pars virilis pudenda, uterus, & ex internis praefertim

1) Novi equidem interdum *scirrhi* significationem etiam ad adipem, qui a valenter retenta materia induruit, transferri: sed potior vulgatioque huius verbi usus in glandularum vel partis cuiusdam, harum naturam habentis, induratione valet designanda. Conf. Excellentissimi b. m. Io. Zachar. FLATNERI *Institution. Chirurg. ration. §. 254.*

fertim pancreas atque mesenterium, Cancris latentis atque incipientis frequentissimam constituunt sedem. Ubi autem, exasperato malo, ulcus adaperitur, tunc aut prioris canceri est soboles, & primo in iisdem, quas enarravi, partibus furit, sensim pedetentimque vicina exedens (§. III.); aut prorsus aliunde exoritur (§. IX.), statimque, quas primum arripit, partes, cuiuscunque sint generis atque fabricae, foetidis atque saniosis ulcusculis devastat. Cuius generis memorabilia exempla passim observationum medicarum scriptores tradiderunt *m*).

§. XIV.

Praestructis itaque iis, quae ad definiendum dignoscendumque inflammationis cancerosae genus atque ingenium pertinebant (§. VII–XIII.), instituti porro nostri interest (§. VI.), ad *mutatos* a carcinoma incendio *humores* & in turpissimam sanie[m] conversos paullo curiosius animum advertere, atque non solum id agere, ut nascendi huius pestilentissimi ichoris, singulariter in carcinomate observabilis (§. III.), modum investigem: verum etiam in cognoscenda ipsa *saniei* huius *natura* atque indole accuratissime laborare; cui supremo labori eo lubentius, quoad licebit, vacabo, quo certius non memini, saniosam hanc materiem a quibusdam Medicis, qui

m) Quae dicta exemplis apprime idoneis illustratum iri novi, si legantur Illustris Gerardi van SWIETEN Commentaria in Herm. BOERHAAVE Aphorism. de cognosc. & curand. morb. §. 496. pag. 878. Tom. I.

qui de Cancro commentati sunt, unquam sub examen esse revocata[m]. Date vero mihi hanc veniam, lectores, ut ne absolutissimam huius tibi explorationem, Chemiae ope perficiendam, a me expectetis; dum parcior rariorque eius copia & molestissima tractabilitas Chemicos ha[ec]tenus ab examine ar[ci]t deterruitque: sed ut talem singularis huius uliginis opperiamini scrutationem, qualis recta ratione subducta potest obtineri; non neglecta tamen sollicitudine pauca quoque illa adferendi, quae nonnullis physicis chemicisque experimentis constiterunt.

§. XV.

Atque primo quidem videtur mihi res non adeo controversiosa, expedire, quomodo quave ratione nascatur sanies, cum in occultis Cancris lateribus adhuc fluctuans, tum deinde pluribus ulcerosis emissariis emanans (§. II. III. XIV.). Quum enim supra (§. VIII–X.) fufius exposuerim, in utroque carcinomate, tam exulcerati scirrhi sobole, quam aliorum comite adfectuum, nervos offendentium, quamplurimos subsceivos atque laterales arteriarum furculos, eosque extremos, tenerrimos atque exiguissimos, partim nimio, partim spiffiori, quam par est, humore oppletos & infartos, partim externa nervorum contractione illaqueatos esse atque constrictos, ut has ob rationes succendantur: huiusmodi tam tenuissimorum vasculorum commutata conditio haud incertum praefert indicium, fore, ut ipsa, maiorem vehementioremque irruentium

D

humo-

humorum vim atque impetum non ferentia, sensim demum findantur, rumpantur & dehiscant. Quo facto effusi extra canales suos liquores, primo tenuissimi lymphatici, deinde nonnihil spissiores tenacioresque serosi, tandemque ipsi sanguinei, in vicina interstitia congeruntur; congesti a vitali mechanicoque circuitu quiescunt; & manerent quieti atque immobiles, nisi novus quidam, omnibusque rebus liquidis, heterogenea, quae vocant, elementa habentibus, sibi que relictis familiaris, accederet motus intestinalis, assiduo interno calore foveus, excitatus, auctus: qui paulatim singulas, quibus compositi sunt humores, particulas disiungit atque solvit, hoc est, leviter putrefacit *n*). Quo fluidarum molecularum motu porro solidae adiacentes partes atteruntur, attritaeque solvuntur: unde cum putri, qui interfluit, humore in spissiore, glutinosam pinguemque coeunt materiam, albo infectam colore, & odoris saporisque expertem, quam *puris* nomine insignire Medicorum mos est.

§. XVI.

Verum enim vero haec (§. XV.) se paullo secus habent in ulcere carcinode. Scilicet puris inspidi atque inodori loco *ichor* adest *olidissimus*, saporisque acerrimi & nauseae insuperabilis *o*): qui unde

- n*) Ampliorem putrefactionis explicationem & Physici sibi vindicant, & Chemicis: quare curiosos huius rei lectores ad distos scriptores remitto.
- o*) Temperare mihi non possum, quin adiciam singularia, quae

unde accidat, quomodoque generetur, breviter dis-
piciendum est. Duplici nimirum origine carcino-
ma supra dixi oriundum (§. II. VII.). Pone ergo,
hoc malum scirrho suos debere natales, & animad-
verte simul, primo hic succum qualiscunque gland-
ulae esse coagulatum, spissatum, siccatum, fluido
mobilique, quod inerat, sensim dissipato atque dif-
flato; dein ipsa hac diuturna vasculorum minimo-
rum, glandulae propriorum, obstructione simul
continua atque coniuncta vasa lymphatica, in vic-
inis reptantia locis, sensim ita compingi, ut omni
blandioris succi lymphatici accessu hae partes pro-
hibeantur; tum in vicinis singulis cuiuslibet generis
canalibus, qui scirrhum circumiacent, & ad ipsum

D 2 quodam-

quae hic dictis illustrandis eximie inservire poterunt, ex-
empla, a *Gualtero HARRIS*, in *Dissertat. medic. & chirurg.*
Dissert. X. pag. 168. Edit. Londinenf. 1725. in 8. commemo-
rata. Primo enim Medicum excitat, qui, mortua ex
exulcerato Cancro uxore, semper, quem in morbo illius
toleraverat, virulentum odorem ita sensit naribus inhae-
rentem, ut & ipse denique insuperabili atque infinito foe-
tore confectus supremum obierit diem. Ad hoc aliud
de Chirurgo adiecit exemplum, priori non indignius me-
moratu, qui tantae fuit audaciae dicam? an temeritatis,
ut limpidum quoddam atque pellucidum liquamen, quod
in mammae, quam refecerat, ulceribus cancerosis conti-
nebatur, degustaverit: quo vero facto tam acerrimum,
tamque detestabilem linguae suae impressit saporem, ut
nullo modo iterum extinguere potuerit, miserque Chirur-
gus continua emaciatus nausea tandem lenta morte hanc
luerit Caneri gustu explorandi aviditatem.

quodammodo abeunt, languidissimum humorum effici motum, adiuuandae atque promovendae elementorum, quibus nostri corporis fluida constant, disiunctioni maxime idoneum; neque denique universam sanguinis materiam inter eiusmodi mala a cacochymica quadam depravatione immunem manere atque intaminatam: & tunc demum haud difficilis atque obscurae fore arbitror demonstrationis, unde tam immundam, tamque enormiter foetentem saniem suo amplectatur sinu scirrhus exulceratus.

§. XVII.

Scilicet quomodocunque aut qualicunque irritatione, sive externa, sive interna (§. VIII.), scirrhosa illa materies leviter tantum fuerit commota, vicinaeque partes incendio exarserint: proximi, qui adhuc nonnihil patent, & quasi semi aperti sunt, canales tenuissimum solummodo mobilissimumque percolari per se sinunt humorem, non glutinosum illum lymphaticum atque ferosum, sed oleo multo saepeque potissimum constantem; qui, intra scirrhi interstitia illapsus, quiescentem ibi pinguem atque terrestrem massam sensim liquat, dumque parcius impeditiusque vasis reducentibus, itidem non satis apertis, revehitur, glandulae scirrhosae velamento (§. III.) magis coercetur, & hinc omnes contentos denuoque adfluentes particulas aliorum humorum *p*) intestino putredinis motu exagitat atteritque.

p) Ne latius, quam Dissertationis limites permittunt, persequeretur

que. Quoniam ergo corruptum hoc liquamen extra succinctam glandulae tunicam vagari, canalibusque susceptum in circulum abire primo non audet, longiore quietis mora gravius putrescit, rancet, attenuatur, pedetentimque adeo, evolutis & liberioribus redditis moleculis salinis, tantam nanciscitur acrimoniam tantumque foetorem, ut illa quidem deinde omnes, quibus adlabitur sanies, partes erodat atque consumat, hic vero ipsum aegrotum continuo summa nausea excruciet conficiatque, ab aliis vero adstantibus paene nequeat tolerari.

§. XVIII.

Haud adeo longe alia est ratio carcinomatis, quod velut *symptomatice*, ut Medicorum loquendi mos est, aliis adfectibus supervenit, neque scirrhorum ortum debet (§. IX.). Quod quomodo contingat, nonnullis praecipuis exemplis protinus exponam. Frequentissima est ulcerum fistularumque in carcinoma conversio, praesertim, adfecti loci intuitu, si aures, nares, oculos, fauces, linguam, tonsillas, labra,

D 3

mam-

querer omnia, consulto omisi, ad augendam accelerandamque, aut imminuendam & retardandam hanc pestilentissimam humorum corruptionem, multum facere ipsam naturalem adfluentium aut scirrhorum comprehensorum indolem. Verbi causa adeps simul ab ulcere tentatus subito rancidam, olidissimam, rodentemque dat saniem; lac corruptione adfectum mox summam concipit acrimoniam, subacidum foetorem spirat, tenuissimumque ichorem stillat; neque multo dissimiliorem prodit naturam saliva; ut reliquorum humorum indolem taceamus.

mammas, genitalia, & quae sunt alia id generis loca, obsederint ulcerationes; aut respectu aetatis, si verustate confirmatum fuerit ulcus; aut ratione indolis, si a cacochymico corruptoque universi corporis humore, v. c. scorbutico, venereo, &c. illud evaserit *κακοχρηδές*, multaue vitiata carne scatuerit, vel intus circum undique occalluerit, vel denique os quoddam in recessu habuerit vitiosum: quale ulcerum genus in paedarthrocace haud raro observatur *q*). Ut omittam vero, genus hoc humoris, qui ex his calceribus effertur, non purulentum deprehendi, sed saniosum, adeoque iam propius a cancroso ichore remotum: hoc potius monendum esse existimavi, tum demum haec ulcera exasperatum iri & evasura esse cancroidea iisdem, quas exposui modo (§. XVII.), ex rationibus, si putris, quam continent, uligo quocunque modo diutius in sinu coërcita, retenta, atque ab exitu fuerit cohibita. Ergo fortior horum ulcerum per adstringentia remedia conglutinatio, angustius & occallescent os, fistulae flexuosae, inaequales, profundae, aut deorsum vergentes, orae putri supercrefcente carne aut forte, Chirurghi errore, turundis durioribus, intumescens, profundiusque immixtis obturatae, & ipsa quoque medicamenta rodentia adurentiaque cre-

q) Cuius detestabilis adfectus ulcera, plerumque cancroidea, singulari memorabilique exemplo illustrata videri possunt in Illustri Praesidis Dissertatione de remediis mercurialibus Spinae ventosae medicandae interdum idoneis, hic loci praeterito anno disceptata,

brius intempestiviusque admota, ac aliae huius generis caussae, plurimum possunt ad ulcerum naturam cancroisae malignitatis participem reddendam.

§. XIX.

Verum enim vero visa quoque sunt compluries membra, tam acerrimo penetrabilique frigore), quam igne adusta, contusa, atrita, alioque modo violenter tractata, sensim cancro fuisse occupata. Quo in pessimo eventu explicando nequam laborabo, promissae brevitatis memor: sed hoc potius, quicquid est negotii, lectoribus relinquam absolvendum; quum insuper in huius rei caussas inquirere difficilis operae non sit, si hactenus disputata non praetervideantur. Gelu enim atque igne s) humores in vitalibus nostrae machinae tubulis densantur atque coguntur; contusione vero atque

r) Rigidissima illa hieme, quae annum MDCCXXXIX. ab anno MDCCXL. separabat, aliquot vidi homines, qui circa aurem & in facie foedo exedebantur carcinomate; quae loca antea gravissime gelu erant vitata. De quo conferri quoque meretur *Laurentii ROBERG Dissertatio chirurgica de Pernionibus*, Upsaliae, 1724.

s) Quam igni hoc loco adjudicavi, vis condensans atque coagulans ne cui forte sit offendiculo, eidem commendo considerandum v. c. coagulum albuminis, levi igne efficiendum, quocum maxime convenit lymphaticus nostri corporis succus, facillime quoque, ut experimento consistit, cogendus. Taceo, in reliquis etiam humoribus tenuissimas dissipari partes ab igne, adeoque reliquas, quae supersunt, crassiores magis inter se compingi.

atque attritu, quo etiam morsum referas atque presum, aliquis minimorum vasculorum numerus dirumpitur, & liquores inde in vacua vicina intervala effunduntur, atque vel integumentis externis integris cohaerentibusque exitu arcentur, vel his lacis sensim exstillant: singulis vero modis nervi adfectorum locorum graviter laeduntur. Quae singulae mutationes tam fluidarum, quam firmarum partium, quid porro efficere possint ad prognerandum carcinoma, iudicent colligantque hucusque expositorum (§. VIII-XII. & XV-XVIII.) lectores.

§. XX.

Venio nunc ad ipsam *saniei cancrisae indolem*, internamque elementorum mixtionem breviter explicandam (§. XIV.). Atque hanc existimo potissimum sale quodam volatili alcalino cum copiosa aquae portione, pariori vero terrestri atque inflammabili materie remixtam esse atque confusam. Visus autem sum mihi, in nonnullis cancris me aliquid nitrosi acidi subolfecisse: de quo vero certi quidquam neque adfirmare ausim, neque negare. Prioris illius certiorisque principii praesentiam in carcinode ichore cur adfirmem, sequentes habeo, easque, me quidem iudice, gravissimas rationes. Primo enim exquisitissimis atque per experimenta firmatis Chemicorum demonstrationibus constitutum est atque probatum, quod quicumque corporis nostri humores, praecipue autem serum, simul ac abierint in putredinem, liquefiant, ex inodorus foetidi,

foetidi, ex insipidis rancidi atque acres evadant, tandemque hos inter intestinos motus subtilissimum, quod sovent, animale acidum cum tenerrima, cuius etiam participes sunt, inflammabili terra pedentim uniant, hacque adeo ratione illud producant sal, quod *alcalinum volatile* Chemicis appellare consueverunt *t*). Deinde quoque memorabilis & ad tuendam nostram sententiam idoneae est observationis, cancrosum saniem interdum tanto deprehensam esse acore, ut ab inspersis medicamentis absorbentibus, quae a Medicis vocantur, terreisque satis vehementer efferbuerit *u*). Quamvis vero acida indoles forsitan hic in suspensionem venire posset, neque negandum sit, ut protinus videbimus, non semper caecam vanamque eiusmodi esse coniecturam: nihilo tamen fecius exploratae apud Chemicos est veritatis, ab adfusis quoque spiritibus, ut vocantur, alcalicis volatilibus terrea eiusmodi

E modi

t) Ut haec explicatius intelligantur, perquam erit opportunum, his conferre, quae hanc in rem disputarunt Celeberrimus quondam *Hermannus BOERHAAVE*, in *Elementis Chemiae*, tam generatim Tom. II. Parte II. tota, quam speciatim Process. CXV. CXXVII. &c. & Excell. *Ioannes IVNCKERVS*, in *Conspectu Chemiae* Tom. II. Tab. LXVII. collata cum Tom. I. Tabul. V. Sect. III. 4. 5. & Tom. II. Tab. LXXX. & magnus ille Chemicus, *Georg. Ernest. STAHLIVS*, in *Fundament. Chymiac*, Part. special. Sect. I. Membr. I. Articul. II. Cap. III. p. 77. sq. Edit. Noriberg. 1723. in 4to.

u) Videfis Excell. *Ioann. IVNCKERVM* in *Conspectu Chirurgiae* Tab. L. Sect. III. 12.

modi dissolui x). Tertio denique omnem hanc definiendi generis horum salium in cancroidea uligine dubitationem eximit experimentum illud, si diversi humores acidi linteo saltem, a cancrosa sanie madido, adfunduntur: unde, si quantuluscunque supervenerit feruor, alcalinus; sin aliter, magis acidus canceri ichor est aestimandus. Prior autem ille porissimum observatur.

§. XXI.

Quin vero plurimi sint futuri, non dubito, qui me nimis emunctae fuisse naris existimabunt, quum in quorundam carcinomatum sanie quaedam nitrosae indolis subolfecerim elementa (§. XX.). Enimvero quibus per motus observationibus experimentisque huiusmodi *παράδοξον* adserere audeam, paucis declarabo. Atque ecce tibi seriem experimentorum, in tribus hominibus, gravissimo carcinomate misere adflictis, captorum y). Primo instillavi linteo

x) Teste quidem Clarissimo *Gottfried Heinrich* BURGHART, in *der Destillierkunst*, erster Band, §. LVII.

y) Subiungam hoc loco breviter summamque singularem supra memoratorum exemplorum historiam. Prima huius rei experimenta cepi anno MDCCXLVI. in puero tredecim annorum, summe paupere atque egente, stipemque ad publicas vias colligente: cui ortus ab exulcerata parotide cancer manifestus tum temporis, quum ipsum conspicerem ulcerisque & inde effluentis saniei naturam explorarem, dimidiam faciem iam penitus adederat, singulas

luteo sanie madefacto, & postea etiam ipsi carni
putri-

gulasque reliquas & inferiores salivales glandulas fere exstirpaverat. Quod voracissimum ulcus quum non solum largam execrabilis humoris copiam ploraret, sed maxime quoque singularem, subacidum, eumque simul admodum penetrabilem spargeret foetorem, talem fere, qualis aceti in calefactum laterem effusi, aut sudoris miliari purpura adfectorum, aut ipsius empyreumatici phlegmatis, quod dicunt, a destillante spiritu nitri dulci residui, esse solet, hisque dictis odoribus tantum gravitate atque vi penetrante antecederet: primum subit animus cogitatio huius cancerosae saniei, dictis supra modis, examinandae. Accidit postea, ut anno MDCCLII. Berolini, me praesente, a dexterrimo quodam eius urbis Chirurgo sinistra feminae cuiusdam mamma, carcinomate maxime exulcerato confecta, penitus reseccaretur: cuius reseccatae atque separatae portionem mecum abstuli, statimque domi coram aliis amicis eadem in hoc frustulo repetii experimenta, quae ante memoravi. Tandem vix duobus mensibus post ibidem in maximo illo nosodochio, quod Charitatis nomen praefert, deprehendi virum, triginta duorum annorum, cholericum, si quis fuit alius, maximum, cui inguina, post exulceratas a venerea causa hic loci sitas glandulas, tandem foetidissimo carcinode ulcere utrobique exesa erant, largoque vliginis turpissimae profluvio scatebant: in quo, quae haecenus experiundo cognoveram, denuo novis confirmare licuit experimentis. In quibus singulis exemplis mirum fuit, quantum inter se convenerint illa exploratoria tentamina, si effecta inde phaenomena spectentur. Si qua porro mihi dabitur occasio, his aliisve rationibus pestilentis huius saniei naturam investigandi, alio forsan tempore locoque repetita experimenta lectores nescire meos

putridae atque saniosae, aliquot guttulas spiritus vitrioli: parvus hinc exortus est fervor, sed hoc magis auctus foetor ille acris atque penetrans, tenuis-fimique simul atque albicantes exhalati sunt vapores. Tum adhibui eadem ratione spiritum nitri, sed, praeter odorem perparum ingravescentem, nullam aliam conspicuam deprehendi mutationem. Salis communis spiritu admissio, odor vix mutatus est ad sensum, neque alia quaedam phaenomena acciderunt. Adperso vitrioli & salis nitri pulvere omnia haud mutata manserunt, nisi quod ab illo color magis nigresceret, ab hoc vero intensior redderetur: sed a sale communi adiecto odor ille singularis, acido ipsius spiritui proprius, manifeste sensibus perceptus est. Insperfa vero terrea atque absorbentia, v. c. conchae praeparatae, oculi cancerorum, &c. insigniter cum sanie efferbuerunt, & vappidum illum atque subacrem spirarunt odorem, quem ipsa alioquin ab acido quodam liquore soluta exhalare solent. Unde conficiendum existimo, cancerosum ichorem interdum 2) acidae deprehendi naturae, singulariter autem nitrosae, quoniam vitriolo

non permittam. Gustu hunc ichorem exquirere neque ausus sum, neque unquam audebo, territus vestigiis Chirurgi Harrisiani. Confer not. o. §. XVI.

2) Noli in locum vocis *interdum* substituere verbum *semper*; veritus, ne pro diversa partium exulceratarum natura nonnunquam sanies cancerosa mox ab alcalina volatili indole propius absit (§. XX.), mox vero iustius hic constituto nitroso generi sit adiudicanda.

triolo ipsique nitro adperso nullam memorabilem infert mutationem, sal commune vero destruere suoque spiritu orbare videtur. Taceo, ne longius digrediar, ipsam rationem aliquid suppeditare argumenti ad stabiliendam meam sententiam, si generatio nitrosi acidi ex acido universali fixo, cum inflammabili terra putrefactionis motu unito, spectetur, simulque animalis acidi ortus ab eodem universali acido, terrae primae Becherianae, sive vitrescibili, & secundae sive inflammabili coniuncto, derivandus consideretur, hisque omnia, quae in cancro sa putredine contingunt, accurate conferantur.

§. XXII.

Supereft, ut de varia illa multiplicique tam *induratione partium solidarum*, quam *corrosione* consumptioneque earundem, in teterrima hac adfectione occurrentibus (§. II-IV.), breviter verbisque in compendium redactis disputem; ne iam protractiorem hanc Dissertationis meae partem adhuc longius protraham. Illius prioris vitii, *indurationis* nimirum, variae sunt causae, quae, si quis ad haecenus dicta curate attenderit, facillimae sunt perspectu. Scilicet impeditum per sua vascula sanguinis humorumque reliquorum iter, teneriores eorundem particulae mora & quiete sensim dissipatae, ipsa nonnunquam saniei cancrisae indoles acida nitrosa (§. XXI.), condensantis atque cogentis, ut ex physicis chemicisque constat experimentis, efficaciae, aliaeque, quae ex prioribus facile subduci possunt,

rationes, facere non possunt, quin omnia, quo per-
tingunt, stipent, conferciant, compingant, indurent
atque σικκῶσιν. Hinc illa induratarum partium ge-
nera orta sunt, quae supra (§. II-IV.) plenius lucu-
lentiusque enarravi. Accedit etiam, labia & inter-
nas ulceris vias saepenumero fieri callosas; quae
nascuntur ex ipsa glutinosa, quantulacunque super-
est, saniei portione, quae, dum effertur ichor, ne-
que fatis & frequenter abstergitur, velut limus sub-
fidet, ulceri adhaeret, sensimque crassior induratio-
que facta tandem penitus occallescit aa). Quo de-
nique modo terribilimum huiusmodi carcinoma
omnes singulasque partes, quae ipsum vicinitate
miseraque adfinitate attingunt, corrodat, adedat
consumatque, explicatius hoc dicere loco, maxime
existimo supervacaneum: quoniam iam ante (§.
XIV-XIX.) in eodem fatis sum versatus negotio,
quum ultimas saniosae huius, quam carcinoma ef-
fundit, uliginis origines persequerer atque investi-
garem. Quam ob rem ad illud nunc accedam sta-
tim, cuius gratia amplior hic praestruendus fuit
commentarius, breviorique demonstratum ibo iti-
nere, mercurialium medicamentorum usum in diro
hoc adfectu non prorsus, ut vulgaris est opinionis,
esse inutilem atque alienum.

aa) Conferatur Celeberr. Ioann. Zachar. PLATNERI liber.
citat. §. 943.

CAPVT II.
DE
REMEDIORVM MERCVRIALIVM
VSV IN CANCRO NON OMNI-
NO ALIENO.

§. XXIII.

Ego vero medicamentorum e mercurio paratorum usum in Cancro nequaquam alienum demonstraturus, non hoc instituo, ut ferocissimo huic malo certissimum quoddam, praesentissimum atque singulariter accommodatum remedium, quod *specificum* vulgo appellare solent, proponam: sed in eo potius ero occupatus, ut non solum iniqua plurimorum de mercurio a carcinomatibus arcendo iudicia reprimam, & singulare hoc metallicum corpus atque, quae sunt ab illius familia, medicamenta ex eorum classe, quibus in Cancro uti non licet, eximam; verum etiam ut definitum, rectum atque securum huius medicinae adhibendae modum expofite expediam luculenterque. Quo minus enim praecipuam indubitabilemque huiuscemodi remediis efficacitatem in carcinode adfectu tribuam, aegrotantiumque salutem certissime inde recuperandam polliceam, multae eaeque graves atque idoneae me commoverunt caussae: quarum non minimam esse fateor commune illud plerorumque, ne dicam omnium remediorum, adversus Cancri rabiem unquam gentium singulariter commendatorum, fatum;

tum; utpote de quibus aequè, ac ipsorum auctori-
bus, semper merito valuit, valebitque semper vere
illud dictum HORATII *bb*):

*Multa renascentur, quae nunc cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore.*

Celeberrimus illè inter Persas Medicus, DEMOC-
DES, qui Atossam, Darii regis uxorem, singulari
medicina, neque igne, neque ferro, a gravissimo
mammae carcinomate liberavit, cui hodie dictus
est? Atque ne in veteribus subsistam, quotusquis-
que, quæso, HELMONTIVM legit, viri cuiusdam
Iuliacensis memoriam litteris servantem, qui quale-
cunque canceri genus insperso sanavit pulvere quo-
dam, nullos excitante dolores, superiectoque em-
plastro, quod barbare dicitur, incarnante? Recen-
tioris quidem, sed nunc quoque sensim obsolescen-
tis, immo paene oblitteratae memoriae oleum est il-
lud in cancro debellando efficacissimum habitum
Henrici Christiani KORTHOLTI, Medici Boruffici,
quod unà cum ipso suo auctore e terrarum orbe
hominumque notitia, quam luculentam atque per-
fectam vir ille lucri cupidus aliorumque salutem pa-
rum prospiciens, aliis Medicis invidit, penitus nunc
sublatum est. Neque a multis ad hos usus eximie
laudatum *Solanum furiosum* secure atque certo fu-
riosum carcinoma semper refrænavit. Maximo-
pere quoque vereor, ut novissimum illud remedi-
um Americanum, videlicet *Phytolacca* TOURNE-
FORTII,

bb) In *arte poetica* vers. 70. sq.

FORTII, in sanando Cancro semper & ubique votis sit responsum cc).

§. XXIV.

Scilicet diuturna experientia omniumque Medicorum animadversione compertum est, eam summi huius gravissimique mali esse indolem, ut leniri atque demulceri se satis aegre patiat, aegrius quacumque medicina attentari, aegerrime tolli. Si qua ergo unquam Medicorum cura ab eiusmodi miseris hominibus postulata fuit, tota in eo est posita, ut, ubi ferri quoque atque ignis auxilia defecerunt, neque vel tenuem futurae sanationis spem attulerunt, leniente tantum &, quod dicunt, palliativo remedio fatalem funestumque huius morbi exitum,

F quoad

cc) Paginae spatio parvulus singulos huc conferam auctores, qui supra memoratorum exemplorum mentionem fecerunt. DEMOCEDIS medicationem refert HERODOTVS *Historiar.* Lib. III. HELMONTIVS videatur in *Capitulo de ideis morbofis*, n. 38. Kortholtianae medicinae laudes ad posteros transfuderunt die *Breslauischen Sammlungen* im VII. und XIV. Versuch, & NENTERVS in *Praxeos* Tomo III. p. 344. Quae a Solano furioso virtutes in Cancro expectari possint, exposuit Illustris Mich. ALBERTI, in *Diss. de Belladonna, tanquam specifico in Cancro, praesertim occulto*, Halae 1739. De Phytolacca refert Clariss. Rudolph. Augustin. VOGEL in *der Medicinischen Bibliothek*, Erstem Bande, p. 849. ea experimenta, quae Medicus quidam Eboraci novi in America in cancerosis hominibus cepit. Plura exempla cupienti commendo legendam Excell. Dan. Guil. TRILLERI *Dissert. de nociva Canceri inveterati exstirpatione novis exemplis demonstrata*, Vitembergae, 1752.

quoad fieri posset, longissime diutissimeque retardarent. Quid autem subfit argumenti, cur hoc praecipue maligno adfectu medicina plerumque deprehendatur imbecillior, haud difficulter intelligitur, si ardua illa multumque laboris atque difficultatis habentia considerentur momenta, quae, si qua fuerit, huic morbo medendi methodum indicant ordinantque. Duplex vero huius medicationis genus est: alterum, quod occulto convenit Cancro (§. II. V.); alterum aperto accommodatius atque exulcerato (§. III-V.).

§. XXV.

Atque illius quidem prioris (§. XXIV.) summa eo redit, ut exortum circa induratum a scirrho glandulam incendium (§. II.) restringatur, & ibidem reperiunda stasis, (quod a Graecis accepimus nomen,) tam discutatur, quam in ipso ortu reprimatur atque praeoccupetur; deinde nimius ad adfecta loca humorum adfluxus cohibeatur, & coepta denique corruptio denuo emendetur. Huius vero, quae ipsi exulcerato carcinomati opponitur, medicationis longe difficilior est labor. Medicum enim cum ulcus omnium sordidissimum purgare atque extergere; tum singularem illam atque horrendam putredinem liquationemque, & omnium humorum in aliam alcalinam nitrosamve naturam transitionem, quantum potest prohibere; tum enormem sanguinis, ceterorumque, qui humano corpori insunt, humorum adfluxum ab ulcere arcere; tum denique idem, prioribus momentis rite effectis,

Etis, confanare, sive, ut Medici loquuntur, consolidare oportet. Quas singulas negotiorum, a Medico carcinoma medicaturo agendorum, definitiones, vulgo alias in scholis medicis *indicationes* appellatas, non temere atque sine exquisitis rationibus Medico imperari, ii profecto perspicue intelligent Lectores, qui priori capite curiosius de natura atque ingenio Cancro disputata his praeceptis considerate conferre, aut ipsi ex cognitis perspectisque morbi cuiusdam causis, quid intersit porro ad instituendam medendi methodum, evolvere norunt *dd*).

§. XXVI.

Ergo definitis nunc illis, quibus medicamentum Cancro vel mitigando, vel persanando, inserviturum instructum esse oportet, virtutibus (§. XXV.), commodissime universa haec, remediorum mercurialium usum in Cancro non alienum expeditura, demonstratio ad quatuor tantum summa capita poterit reduci. Namque ante omnia praefinire me decet, quid potissimum medicamentorum ex insigni illo, qui in pharmaceuticis prostat tabernis, mercurialis medicinae apparatus cancrofis adfectibus conveniens existimem atque opportunum; deinde singularium horum remediorum vires, latius apud Therapiae generalis, materiae, quae dicitur, medicae,

F 2

dd) Neque tamen quenquam poenitebit harum, quas dixi, indicationum causas porro legere expositas in Celeberrimi Georg. Ernesti STAHLII *Dissert. de Cancro*, Halae 1699. & in eiusdem *Theoria medica vera*, p. 1309.

cae, rerumque pharmaceuticarum scriptores explanatae, generatim velutque summam dicendae sunt; tum tertio ipsorum adhibendorum modo in occulta Cancro labe demonstrato, quarto denique ea exponi debet methodus, qua tam externa, quam interna applicatione, huius generis medicina manifesto carcinomatis ulceri quodammodo mederi, lenimenque, ne dicam sanationem adferre valet.

§. XXVII.

Inter ea, quae mercurialis sunt profapiae, medicamenta, quorum usus in Cancro esse potest (§. XXVI.), suo merito omnibus reliquis palmam praeripit *mercurius dulcis*, ob delenitam, adhuc tamen satis efficacem indolem, si recte fuerit adhibitus, profecto plurimi aestimandus. Iungunt huic, quid? quod anteferunt aliqui ut in aliis morbis, ita in Cancro quoque, mercuriale illud nimium praedicatae efficaciae remedium, *aethiopem* videlicet *mineralem*: sed cur iis plane non assentiam, iisdem permoveor rationibus, quibus aliqui perspicacissimi viri idem hoc medicamentum in inutilium atque infructuosorum, saltem dubiae virtutis remediorum classem magno argumentorum apparatu vindicaverunt *ee*). Reliqua vero potentiora mercurialia, quae vulgo

ee) V. c. conferatur Sam. Theod. QVELMALT. *Programma de hydrargyri viribus a sulphure in humano corpore suspensis*, Lips. 1748. & Caroli Frid. HUNDERTMARK *Diss. de Mercurii vivi cum salibus varie mixti summa in corpus humanum vi atque efficacia, eiusque cum sulphure laxius vel arctius coniuncti virtute in idem nulla*. Ibid. 1754.

vulgo praecipitatorum nomine prostant, itemque Turpethum minerale, & quae sunt alia huius commatis remedia, ut perhibentur, panchresta, prorsus in Cancri medicatione exulare iubeo. Sed omnium efficacissimo potentissimoque illi *mercurio*, quem *sublimatum* appellant, inter ea, quae extrinsecus admoventur, quantulumcunque, sed caute admodum atque circumspecte datum, permitto locum: de quo statim plura disseram. Neque denique ipsum *mercurium vivum* eorum classe eiiciendum puto, quorum externus in Cancro, praecipue occulto, deprehenditur usus; ut ex mox dicendis planius constabit.

§. XXVIII.

Quorum remediorum (§.XXVII.) virtutes universim eo redeunt, quod singula maxima pollent efficacitate, quosvis corporis nostri humores potenter resolvendi, eosdemque vehementia vascula ad maiorem actionem mox levi, mox vero acriori stimulo incitandi. Atque quod inprimis ad *mercurium* attinet *dulcem* (§. cit.), duplex haec tam resolvens, quam irritans virtus singulariter in ipso est conspicua. Namque, ut alibi ff) abunde satis demonstratum novimus, cum parcior illa copia spiritus salis communis, mercuriales moleculas in dulci hoc hydrargyro amplexi, quascunque irritabiles machinae nostrae partes,

F 3

ff) Scilicet in Illustris PRAESIDIS Diff. de medicamentorum mercurialium cum salibus paratorum efficacitate per adiunctum sulphur ad certos quosdam morbos magis accommodanda, Halae 1745.

tes, eximiis Hallerianis experimentis *de partium irritabilitate*, quam vocant, captis plane atque singularim demonstratas, ad insignem contractionem oscillationemque excitat; tum mercurialis sive metallica portio, in summe minimas exilissimasque particulas resoluta, simulque, acidi atque salini confortii ope, vasculorum tunicis, ipsisque, qui interfluunt, humoribus adhaerens, proprio suo pondere canalibus ad fortiorem motum velut calcar subdit: unde ipsa universa haec mercurii dulcis massa, partim maiori vasorum robore propulsa, partim sua gravitate in fluida corporis nostri elementa penetrans, haec liquat, solvit, & tenuiora efficit mobilioraque. Haud aliter vivus agere videtur mercurius, pingui exceptus ungento aut emplastro (§. citat.): siquidem, harum pinguedinosarum molecularum adminiculo in minimos segregatus globulos, porosam corporis humani superficiem intrat, & hinc sanguini adfusus ea, quae modo dixi, producit effecta. Taceo lubenter acrem exedentemque sublimati mercurii vim, utpote inter omnes satis superque notam.

§. XXIX.

Enimvero quo iure hinc aliquos in domando Cancro usus exspectem, qui exspectari posse prorsus non videntur, paucis tradam. Cotis nimirum vice saepenumero fungitur mercurius, aliique remedio, quod Veterum more haud incommode *dirigens* vocaveris, adiunctus, varios, maxime singulares atque definitos edit effectus. Factum est exinde, ut mercurialia remedia quotidie inter cathartica, diaphore-

phoretica, aperientia, anthelmintica, aliaque genera, militantia deprehendantur. Cuius rei intuitu nonnihil in praesenti quoque diro, quem exposui, morbo valebunt. Singulariter autem, ut ipsorum adhibendorum modum attingam (§. XXVI.), in occulto Cancro, dum incipit primasque tantum agit radices, & adhuc proxime a scirrhi ingenio abest, prodesse poterunt emplastra mercurio infecta, v. c. de ranis cum mercurio VIGONIS, de spermate ranarum cum mercurio, &c. aut plumbea lamina, quam hydrargyrum permanavit. Eximie quoque hic conveniet sulphuris antimonii aurati, aut sulphuris auripigmenti cum mercurio dulci connubium: cuius commemorabiles virtutes nuperrime hic intelleximus explicatas gg). Inter haec alvus quoque subinde ducenda est mercurio dulci, pilulis Becherianis aut extracto rhabarbari intermixto atque sociato. Nec omnino nullum in exulcerato carcinomate locum haec remedia merentur. Ego quidem, si recte omnia mecum reputo, non erubuerim pulverem ex hydrargyro dulci, modo memoratis sulphuribus, & teneriori quodam absorbente remedio compositum, ad adfluxum nimium atque intempestivum ab ulcere arcendum atque ad universam corporis superficiem relegandum, malo proponere carcinodi. Leniora quoque ista alvum laxantia ex usu sunt. Denique extrinsecus admovenda mercurialia, sed circumspicito usu, commendant duo celebratissimi nostra aetate nominis viri: aquam scilicet ex putridis pomis expressam, parciusque cum

gg) In citata Illustris PRAESIDIS Dissert. & alia Eiusdem, de remediis mercurialibus Spinae ventosae medicandae interduum idoneis, Halae, 1754.

cum mercurio dulci remixtam HEISTERVS *bb*); dilutionem vero aquam phagadenicam, e sublimato mercurio paratam, PLATNERVS *ii*).

§. XXX.

Finem iam facturus temperare mihi non potui, quin tria tantum, quod aiunt, verba adiiciam de *oleo* quodam *minerali*, ad quod arte chemica conficiendum mercurius accedit sublimatus, & quod, si pondus singulare, colorem odoremque spectes, a celeberrimo illo oleo KORTOLTIANO, cuius supra mentionem inieci (§. XXIII.), non abludivit, ideoque a quibusdam intelligentibus Medicis idem, nec me iudice immerito, existimatur. Equidem vehementer optarem mihi proximo tempore opportunam de hoc in miseris eiusmodi hominibus experimentum capiendi occasionem; plane persuasus, illud certo aliquod, neque poenitendum operae pretium esse futurum. Scilicet hoc illud est oleum, quod, dum acerrimus atque fumans salis communis spiritus e mercurio sublimato & auripigmento mixtis elicitor, destillanti spiritui succedit, & pingue, (ut expressa vegetabilium olea esse solent,) spiritu levius, & subviride deprehenditur. De quo plura exponunt chemici scriptores *kk*): quos consulendos, me vero benevolo Lectori de meliori commendatum volo.

bb) In *der kleinen Chirurgie*, p. 160. Ed. Noriberg. 1747. in 8.

ii) Libro saepius citato, §. 274.

kk) Omnium loco excitabo hic unicum Excell. Io. IYNCKERVM, in *Conspectu Chemiae theoretico-practicae*, Tom. I. p. 503. not. 9) Edit. lat.

Emendandum.

Pag. 22. lin. 7. a fine, post verbum *crebrius* adde *non*.


01 A 6602


ULB Halle

3

002 932 512







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
 DE
**MEDICAMENTORVM
 MERCVRIALIVM
 VSV IN CANCRO**

QVAM
 DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
 ET
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
 PRAESIDE
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
 POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
 ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
 LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,
 AD D. XVIII. IANVAR. A. S. R. **MDCCCLV.**

PVBLICE DEFENDET
CAROLVS CLESS
 GEDANENSIS BORVSSVS.



HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.